

## Prohemium huius libri

Prohemium de proprietatibus rerum fratris Bartholomei anglici de ordine fratrum minorum incipit

### De proprietatibus

rerum sequantur substantias secundum distinctionem et ordinem substantiarum erit ordo et distinctio proprietatum de quibus adiutorio diuino est presens opusculum compilatum. vtile mihi et forsitan alijs que naturas rerum et proprietates per sanctorum libros nec non et philosophorum dispersas non cognouerunt ad intelligenda enigmata scripturarum que sub symbolis et figuris proprietatum rerum naturalium et artificialium a spiritu sancto sunt tradite et velate que admodum ostendit beatus Dionysius in hierarchia angelica circa principium dicens: Non est aliter nobis possibile lucere diuinis radijs nisi varietate sacrorum velaminum analogice circumuelatum. quoniam impossibile est animo nostro ad immateriale celestium hierarchiarum ascendere contemplationem nisi ea que secundum ipsum est materiali manu ductione tractata et cetera. quasi diceret. Non potest animus noster ad inuisibilem contemplationem ascendere nisi per visibilem considerationem dirigatur. Inuisibilia enim dei per ea que facta sunt intellecta conspiciuntur. ut dicit apostolus. Et ideo theologia per uide sacris et poeticis informationibus usata est. ut et rerum visibilem similitudinibus allegorice locutiones et mystici intellectus transumpti des formentur et sic carnalibus et visibilibus spiritu alia et inuisibilia coaptentur. **Huius** rei gratia presens efficitur opusculum ad edificationem domus domini que est deus gloriosus sublimis et benedictus in secula seculorum. In quo agitur de quibusdam proprietatibus rerum naturalium quarum alia est incorporea alia corporea. **Et** primo de proprietatibus substantie incorporee secundum sui differentias quarum alia est corpori vnibilis ut anima rationalis sensibilis et ve-

getabilis. alia non vnibilis corpori ut angelus. **Et** angelorum alij sunt boni: alij mali. In bonis vero angelis est ordo secundum trinitatem multiplicationem trinitatis. unde a beato Dionysio distinguuntur tres hierarchie celestes quarum quelibet trium ordinum continet dispositiones. **Non** uidecim itaque sunt de quibus in hoc opusculo adiuuante deo per ordinem est agendum. et hoc tamen in communi quam in speciali. **Primo** igitur agitur de deo et nominibus diuinis. que dicuntur de deo vel quo ad essentiam. vel personam siue quo ad effectum siue appropriationem. **Secundo** de proprietatibus angelorum tam bonorum quam malorum in generali et speciali. **Tertio** de proprietatibus anime rationalis quo ad nature sue simplicitatem. et quo ad uirtutum suarum diuersitatem. et de eius unione et operatione in corpore prout confert ei formam et perfectiones. **Quarto** de proprietatibus substantie corporee scilicet de elementis et elementaribus qualitatibus ex quibus componitur omne corpus. et de quattuor humoribus ex quibus componuntur corpora tantum hominum quam brutorum. **Quinto** de hominis corpore et singulis eius partibus de quibus sacra scriptura facit mentionem. **Sexto** de etatibus. **Septimo** de infirmitatibus et uenenis. **Octauo** de mundo et corporibus celestibus. **Nono** de tempore et partibus temporis. **Decimo** de materia et forma et earum proprietatibus et elementis. **Undecimo** de aere et passionibus eius. **Duodecimo** de aere in generali et in speciali. **Tertiodecimo** de aquis et eius differentiis et ornatu scilicet de piscibus. **Quartodecimo** de terra et eius partibus. **Quintodecimo** de punctis. **Decimo sexto** de lapidibus et metallis. **Decimo septimo** de herbis et plantis. **Decimo octauo** de animalibus. **Decimonono** de accidentibus scilicet de coloribus saporibus etc. In istis. xix. libellis rerum naturalium proprietates summatarum et breuiter continentur prout ad manus meas spero que effugerunt manus metentium pertingere poterunt. In quibus de meo pauca vel quasi nulla apposui. sed omnia que dicuntur de libris autentis sanctorum et philosophorum excipiens sub breui hoc compendio pariter compilauit. sicut per singulos titulos poterit legentium industria experiri.